

1271, juny, 12

*Arnau de Poses, veguer de Girona i Besalú, efectua la subhasta i venda judicial per deutes d'una casa d'Eimeric d'Hospital, situada a la cellera de Madremanya, a Arnau de Bancells i Guillem de Bancells, pel preu de 40 sous.*

ASD núm. 216, perg. orig., 470 x 235 mm.

Nouerint uniuersi quod cum Eymericus de Hospitali de Gerunda fuisset mortuus in partibus ultramarinis nullo condito testamento et plura debita deberet in ciuitate Gerunde et comandas etiam recepisset et creditores etiam qui comandas ei tradiderant instarent apud curiam Gerunde quod debita eis solui faceret et comandas restitui a matre et fratribus qui ei debebant succedere et ipsius esse heredes ah intestato, uel si nollent esse heredes saltim uenderet eius possessiones et bona de quibus satisfaceret in debitis et comandis, et Maria mater dicti Eymerici de Hospitali et Brunissendis eius filia et soror ipsius Eymerici et Petrus de Hospitali et Iacobus de Hospitali fratres dicti Eymerici, citati et a curia moniti quod satisfacerent in predictis debitis et comandis dixerunt se nolle esse heredes ipsius Eymerici, ymo eius hereditati prorsus renunciabant, postea cum illi proximiores nollent esse heredes et hereditati ipsius renunciassent, fuerunt moniti per curiam Iacobus de Hospitali et Iacobus de Ceruiano quod satisfacerent ipsius debitis et comandis si uellent ipsius esse heredes, et predicti Iacobus de Hospitali et Iacobus de Ceruiano responderunt se nolle esse eius heredes nec ei succedere, ymo eius hereditati prorsus renunciabant, et factis monicionibus et renunciacionibus antedictis, predicti creditores qui comandas fecerant apud curiam institerunt quod predicta bona distraherent Eymerici et cum de bonis et possessionibus predicti Eymerici fieret subastacio et encantum, predicti fratres et soror ipsius Eymerici et Iacobus de Podio a predicta Brunissende eius uxor et soror ipsius Eymerici et eius fratribus procurator apud acta institutus proposuit coram curia et iudice quod possessiones et bona predicti distrahi non debebant, pro eo quod a patre dicti Eymerici et sororis et fratrum fuit in persona dicti Eymerici substitutio facta, quod si dictus Eymericus sine liberis infra etatem legitimam decederet, quod predicti ei succederent in bonis paternis et cum conditio extitisset debebant ei succedere et bona eius adiudicari, et ad fidem de predictis faciendam hostendit in iure dictus Iacobus de Podio testamentum patris illorum quorum erat procurator. Ad quod responderunt dicti creditores et a quibus receperat comandas quod tempore quo decessit dictus Eymericus non erat minor imo maior quam presumi poterat et constare per kalendarium testamenti paterni et per presumpciones et alias probaciones quas induxerunt, et cum fuisset a iudice interrogatus dictus Iacobus de Podio si uolebat probaret dictum Eymericum esse minorem etate perfecta a tempore quo decessit, probare aliquid non curauit, et sic fuit a iudice pronunciatum quod non obstantibus exceptionibus et condicionibus predictis fieret uendicio antedicta, cum ius contradicendi ex persona predictorum non competebat Iacobo de Podio supradicto. Et sic facta subastacione legitima et encanto tribus diebus dominicis, emissa uoce ante predictos dies singulos dominicos per sayonem apud Matremmagnam quod quicumque

uellet emere illud cellar-ium quod est intus cellariam de Matremagna, quod cellarium fuit predicti Eymerici de Hospitali, et quod totum cellarium tenetur per Bernardum de Belmiray, fuerunt inuenti Arnaldus de Bancelis et Guilielmus de Bancelis, commorantes aput Matremmagnam, filii Dominici de Bancelis, se daturi obtulerunt in predicto cellario .XL. solidos barchinonenses monete de temo. Et ideo ego Arnaldus de Pausis Gerundensis et Bisuldunensis uicarius ex parte domini regis et domini infantis Petri eius filii et suorum et mea, uendo uobis Arnaldo de Bancelis et Guilielmo de Bancelis, fratribus antedictis et uestris perpetuo totum predictum cellarium integre quod fuit predicti Eymerici de Hospitali et quod tenetur per predictum Bernardum de Belmiray; et affrontat dictum cellarium ah oriente in cortali Berengarii Paiesii et Guilielmi de Aquilone, a meridie in domibus den Sabater, ah occidente in carraria que ibi est, a circio in cellario quod Bisbe tenet per dictum Bernardum de Belmiray. Predictum siquidem cellarium quod fuit predicti Eymerici de Hospitali cum intratibus et exitibus, pertinentiis et tenedonibus et cum solis et suprapositis, tectis et sufferimentis, parietibus et fundamentis, stillicidiis et ianuis et cum omnibus aliis in se habentibus sibi que qualicumque modo pertinentibus de abissousque ad celum, et cum melioramentis et augmentis ibi factis et de cetero faciendis et cum omnibus suis proprietatibus et integritatibus prout melius potest dici et intelligi ad uestrum comodum et uestrorum, sic predictum cellarium integre uobis et uestris perpetuo uendo ex parte domini regis et predicti domini infantis Petri et suorum, precio .XL. solidorum barchinonensium monete de temo, de quibus recognosco me a uobis bene fore paccatum, renuncians excepcioni peccunie non numerate et quos dictos denarios ego soluo incontinenti Arnaldo Ermengaudi et Raimundo Guoresches, procuratoribus Petri Ermengaudi, cum constaret quod dictus Eymericus et bona eius erant obligata predicto Petro Ermengaudi racione cuiusdam debiti quod dicto Eynierico Raimundus Laurencii de Salou debebat, qui Eymericus uendiderat dictum debitum dicto Petro Ermengaudi et ah ipso Petro Ermengaudi fuerat euictum per Iacobum de Hospitali et Arnaldum de Podiouentoso et Guilielmum de Tornauells, creditores dicti Eymerici, et priores tempore potiores iure quam ipse Petrus Ermengaudi pro comandis quas ipsi Iacobus et Arnaldus et Guilielmus fecerant dicto Eymerico de Hospitali. Et sic ex parte domini regis et dicti domini infantis Petri et suorum promitto uobis predictum cellarium cum eius melioramentis semper facere habere et tenere in pace contracunctam personam, saluo iure predicti Bernardi de Belmiray in omnibus, cui dabitur annuatim pro censu in festo Natalis Domini unum par caponum.

Actum est hoc .rr. idus iunii anno Domini .. MCCLXX. prima.

Sig+num Arnaldi de Pausis, Gerundensis et Bisuldunensis uicarii antedicti, qui predicta omnia firmo, Im. ido et concedo. (s. man.) Bernardus de Pulcromirali\*. Sig+num Guilielme, uxoris dicti Bernardi de Belmiray, qui predicta omnia firmo, laudo et concedo .m. kalendas iulii anno Domini .MCCLXX. tercio, presentibus Bernardo de Miyars, sayone et Raimundo de Strada de Matremagna. Testes huius rei sunt Arnaldus de Sancto Martino et Bernardus Palacioli, scriptores.

Sig(s. man. )num Raimundi Strutii, qui hoc scripsit mandato Bernardi de Uicco, publici Gerunde notarii. Ego Bernardus de Uicco, publicus Gerunde notarius et iudex ordinarius domini regis, subscribo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 451-454